

DISPUTATIO XXVIII.

*De requisitis ad justificationem.*

**P**Ræter ea quæ Disput. XXVI. de requisita dispositione ad gratiam dicta sunt; requisita ad justificationem per Sacra menta Baptismi & pœnitentiæ expenduntur in 3. parte & in suppl. ubi, de pœnitentiâ ut virtus & Sacramentum est, agitur.

Q U A E S T I O I.

*An ad justificationem impii requiratur dispositio  
Et quanam ex parte voluntatis?*

**Q**uestio procedit de justificatione adulorum, de quâ.

**DICO I.** In eo, qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio à Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii, S. Th. hic Q. 113. a. 3. O. Sive adultus sine propriâ dispositione non justificatur.

Probatur ex Con. Trid. sess. 6. de justif. cap. 6. Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitatè divinâ gratiâ Et adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum Et c. hoc ipsum monet S. Script. 1. Reg. 7. v. 3. Preparate corda vestra Domino Eccles. 1. v. 20. Qui timent Dominum preparabunt corda sua Et in conspectu illius sanctificabunt animas suas Act. 2. Concione S. Petri moti, ut ad justificationem pervenirent, interrogabant: quid faciemus? quibus responderetur: Pœnitentiam agite Et baptizetur unusquisque vestrum Unde etiam S. Aug. qui fecit nescientem justificat volentem.

Ratio S. Th. est: quod Deus in suâ operatione se accommodet modo & exigentia causarum secundarum, in quibus forma non introducitur, nisi in subjectum

& materiam dispositam ; ergo etiam Deus non introducit gratiam , nisi in animam dispositam atqui anima adulti juxta proprium suum motum disponitur & movetur ad gratiam recipiendam per motus proprios liberi arbitrii ; ergo sicut per proprios actus gratiam amisit , ita & per proprios voluntarios actus ad eandem recuperandam disponitur .

DICO 2. *Ad justificationem impii requiritur motus mentis , quo convertitur in Deum , S. Th. hic Q. 113. a. 4. O.*

Probatur ex S. Script. Eccles. 17. v. 21. *Converte ad Dominum & relinque peccata tua v. 23. revertere ad Dominum , & avertere ab injustitia tua. Joel. 2. v. 12. Nunc ergo dicit Dominus , convertimini ad me in toto corde vestro. Et v. 13. Convertimini ad Dominum Deum vestrum & Ratio est : Justificatio est effectus formalis gratiae reddentis hominem Deo gratum , amicum , habitualiter in Deum conversum ; atqui ad amicitiam Dei & conversionem in Deum habitualem disponitur homo per motum voluntatis ; quo se in Deum convertit eidem se per timorem , humilitatem aliquosque affectus subjiciendo ; ergo .*

*Dices 1. Ad lumen gloriae 2. Ad gratiam actualem non requiritur dispositio subjecti. 3. Deus cum sit agens infinitae virtutis nullum in subjecto dispositionem requirit. Denique parvulos Deus justificat sine praevia dispositione ergo & adultos saltem à peccato originali quod æque aliena voluntate contraxerunt ac parvuli.*

*R. Ad 1. Lumen gloriae non esse formam per se ultimatum & per modum essentiæ intentam ( prout est gratia in justificatione velut spirituali generatione ) sed esse ipsammet dispositionem ad essentiam divinam in ratione formæ intelligibilis intellectui videntis uniendam. Ad 2. Disparitas est ; quod gratia actualis sit ipsum ini-*

*tium*

DE REQUIAM  
bene operari  
ad exercitandum  
contra gratia san-  
cti est ultimatus  
al. 3. Deus secundum  
requirit dispositio-  
nem & legem  
ans ad cuiuslibet  
mentem. Ad ultimum  
positionis voluntatis  
actu voluntatis  
originali , ita & ab  
adulti vero talia  
non sunt.

QUA  
Qualis fides regi-

DICO 1. In fiduciâ , quanto  
se justificavimus horum  
Q. 113. a. 4. ad  
Explicatur Conclu-  
sus fidei , non rati-  
onelium & simili-  
ficari : quia nullum  
dimisit , Christus  
agere ad justifi-  
cationem peccatorum  
dimissa , qui  
de Trid. sess. 6. d  
conrum fidem defi-  
nitus absolvit ac ja-  
ficari certò creda-  
bit , nisi qui creda-

tium bene operandi, forma vialis & incompleta ordinata ad excitandum ipsammet hominis præparationem, econtra gratia sanctificans seu participatio divinæ naturæ est ultimatus terminus generationis spiritualis.

**Ad 3.** Deus secundum potentiam absolutam operans non requirit dispositionem bene tamen secundum potentiam & legem ordinariam sese suaviter accomodans ad cuiuslibet naturæ proprium motum & inclinationem. Ad ultimum disparitas est: quod parvuli dispositionis voluntariæ capaces non sunt, hinc sive sine actu voluntatis propriæ facti sunt obnoxii peccato originali, ita & ab eodem sine actu voluntatis liberantur, adulti verò talis voluntariæ dispositionis capaces sunt.

## Q U A E S T I O II.

*Qualis fides requiratur ad justificationem & an sola sufficiat?*

**D**ICO 1. In justificatione impii requiritur actus fidei, quantum ad hoc, quod homo credat Deum esse justificatorem hominum per mysterium Christi, S.Th. hic Q. 113. a. 4. ad 3. O.

Explicatur Conclusio: requiritur ad justificationem actus fidei, non talis, qualem hæretici volunt esse necessarium & simul sufficientem, quâ credat quis se justificari: quia nullibi talem fidem ab iis, quibus peccata dimisit, Christus requisivit, imo si talis fides exigeretur ad justificationem, foret ridiculum, crederetur enim peccata esse dimissa, quia sunt dimissa & essent dimissa, quia crederetur, quod sint dimissa. Unde Trid. sess. 6. de justif. Can. 14. contrà hæreticorum fidem definivit: *Si quis dixerit hominem à peccatis absolvi ac justificari ex eo, quod se absolvi ac justificari certò credat; aut neminem verè esse justificatum, nisi qui credat se esse justificatum, & hæc sola*

## 710 I. 2. DISPUTATIO XXVIII.

fidei absolutionem & justificationem perfici, Anathema sit. Sed fides tendens in mysteria revelata, quæ in Symbolo continentur, signanter Christi redemptoris justificatoris & salvatoris nostri ad justificationem necessaria est: *Quia sine fide impossibile est placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum quia est & inquirentibus se remunerat* Hebr. 11. Ubi fusè S. Paulus Hebreis demonstrat per opera sine fide exercita neminem Deo placuisse. Christus ipse Mar. 16. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit salvus erit.* Unde Con. Trid. sess. 6. de justif. cap. 8. Cum Apostolus dicit: *justificari hominem per fidem & gratis;* ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae Catholica consensus tenuit & expressit; ut scilicet per fidem ideo justificari dicamus: *quia fides est humana salutis initium fundamentum & radix omnis justificationis.* Cujus ratio est: quia nisi prius intellectus tendat in Deum per fidem, in eundem etiam tendere non potest voluntas per spem & charitatem: prius enim oportet, ut quis pie affectus erga mysteria credenda iisdem per intellectum assentiatur, antequam ea sibi cum fiduciâ velle, vel in eis complacere possit. Hæc autem fides non sufficit, unde.

DICO 2. *Simul in justificatione impii eum motus fidei est etiam motus charitatis... etiam concurreat actus timoris filialis & humilitatis,* S. Th. loc. cit. ad 1. Sive sola fides ad justificationem non sufficit.

Probatur: si fides sola justificaret, ergo tantum credens à Deo revelata salvabitur, sed hoc non Matth. 7. v. 21. *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* 1. ad Cor. 13. v. 2. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem, autem non habuero, nihil sum.* Hinc definitum est à Trid. sess. cit. Can. 9.

Si

**DE REQUISITIS AD JUSTIFICATIONEM. 711**

*Sé quis dixerit, solâ fide impium justificari, ità ut intellegat nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur. Et nullâ ex parte necesse esse, cum sua voluntatis motu preparari, atque disponi; anathema sit.* Et sicc. cit. cap. 7. ità discurrit: *Fides, nisi ad eam spes accedat & charitas neque unit perfectè cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit: quâ ratione verissimè dicitur, fidem sine operibus mortuam & otiosam esse. Et in Christo Iesu neque circumcisionem aliquid valere neque præputium sed fidem, quæ per charitatem operatur.*

*Obj. 1. Mar. 11. v. 24. Omnis orationis efficacia tribuitur fidei: omnia, quacunque orantes petitis, credite quia accipietis & evenient vobis.* Cur ergo non omnis ad justificationem dispositio consistet in solâ fide.

*R. Negando ant. Textus non totam efficaciam tribuit nudæ fidei sed piæ fiduciæ ejus, qui ut oportet & cum debitum circumstantiis orat, unde etiam fides cum cæteris requisitis est sufficiens ad justificationem dispositio.*

*Obj. 2. Omnis qui credit in Christum non perit Joan. 3. v. 16. Ergo justus est per solam fidem, idem innuit Apost. Rom. 3. *Justitia Dei per fidem Iesu Christi in omnes & super omnes qui credunt in eum:* Rom. 4. *Credenti in eum, qui iustificat impium reputatur fides ejus ad iustitiam.* Ad Gal. 2. *Non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi.* Ephes. 2. *Gratia estis salvati per fidem.* Et pluribus aliis locis S. scripturæ fidei iustificatio & salus tribuitur; ergo sola fides in Iesum Christum est sufficiens ad justificationem dispositio.*

*R. 1. Nullibi alii virtutum actus excluduntur sed fidei cum cæteris virtutum actibus sive per dilectionem operanti tribuitur iustificatio.*

**R. 2.** In his & similibus textibus Apostolus excludit opera cæterialia legis Mosaicæ : non verò opera moralia : sive actus spei, timoris, humilitatis, charitatis, ut legenti patebit & optimè exponit S. Aug. lib. de fid. & oper. cap. 14. *Cum dicit Apostolus, arbitrari se justificari hominem per fidem sine operibus legis : non hoc agit, ut percepit ac professā fide opera justitiae contemnatur, sed ut sciat se quisque per fidem posse justificari etiam si legis opera non præcesserint.* Et lib. 83.  
**QQ. Q. 77.** in fine ità concludit : *quapropter non sunt sibi contraria duorum Apostolorum sententia Pauli & Jacobi, cum dicit unus justificari hominem per fidem sine operibus & alius dicit, inanem esse fidem sine operibus : quia ille dicit de operibus, quæ fidem præcedunt, iste de his qua fidem sequuntur :*

### QUÆSTIO III.

*An ad justificationem impii requiratur motus liberiarbitrii in peccatum ?*

**S**icut Hæretici solam fidem ad justificationem sufficere tradunt, ità nullam de peccato dolentis animi contritionem requirunt, cum tamen homines in gratiam admittere non velint eos, qui actūs, per quem lacerunt & offenderunt, detestationem & displicientiam non ostendunt, unde

**DICO.** *Motus liberiarbitrii, qui concurrit ad justificationem impii est consensus ad detestandum peccatum.* S. Th. hic Q. 113. a. 7. ad 1.

Probatur ex S. Script Deut. 4. v. 29. *Cumque quiesceris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum : si item toto corde quiesceris & totâ tribulatione anima tua.* Quid aliud invenire Deum, nisi per justificationem ejus gratiam obtainere, & quid querere in tribulatione animæ, nisi admissa peccata detestando & plangendo ? Ps. 50. v. 19. *Sacrificium Deo Spiritus contributus : Cor*

XVIII.  
Apostolus eu-  
non vero opera  
nilitatis, chanc-  
onit S. Aug. lib.  
stolus, arbitra-  
ribus legi: non  
era justitia un-  
idem posse pote-  
nt. Et lib. si  
ropter non fu-  
tentia Pauli  
m per fidem fu-  
m fine operis  
cedunt, glos-  
II.  
matis liberis.  
stionem fuisse,  
dolentis animi  
bonitatis in pecc-  
tis, per quam  
delinquentiam  
penitentia ad peccata  
Pandanus pecca-  
Cuncte qua-  
re omnia in  
icationem quan-  
tatione animi  
endo? P. jo-  
nathus: G.

DE REQUISITIS AD JUSTIFICATIONEM. 713

contritum & humiliatum Deus non despicies. Jerem. 31. v. 19. Postquam convertisti me egi pœnitentiam: & postquam ostendisti mihi percussi femur meum. Quem locum de dolore & planctu super peccato exponit S. Hieron. Luc. 18. de Publicano , qui justificatus descendit in domum suam, dicitur: à longe stans nolebat nec oculos ad celum levare : sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitiatus es a mihi peccatori , unde præter alios actus , quibus ad justificationem homines disponuntur requirit Trid. sess. 6. de justif. cap. 5. eum , quo moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem. Et ratio est: quia per justificationem homo ad Deum redit , qui per peccatum ab eo recesserat , sed juxta S. Aug. lib. 50. homil. hom. 50. *Hominum nullus transit ad Christum, ut incipiat esse, quod non erat, nisi eum pœniteat fuisse, quod erat.* Et paulo ante *omnis* , qui jam arbiter voluntatis sue constitutus est , cum accedit ad *Sacramenta fidelium*, nisi eum pœniteat vita veteris , novam non potest inchoare. Ergo ad justificationem requiritur actus voluntatis, quo detestetur homo peccatum, nec sufficit sola à peccatis cessatio , ut Heterodoxi volunt , quia cum Deo delinquimus , nequaquam satisfacimus , si ab iniquitate cessamus , nisi voluptates quoque , quas dilleximus, econtrario oppositis lamentis insequamur. Inquit S. Greg. M. in 3. p. pastoralis.

*Obj.* Homo multorum peccatorum reus nequit de omnibus dolere quia nequit omnium recordari videlicet quando diu in statu peccatorum hæsit , quorum plura per naturalem oblivionem memoriâ exciderunt. Deinde potest contingere , quod homo tantum cogitat de bonitate luminâ Dei & nullatenus recordetur peccatorum , atqui talis diligendo Deum super omnia justificatur : quia Deus diligentes se diligit; & non detestatur peccata.

Ex. ad 1. Ad justificationem requiritur ut omnia peccata, quæ post diligentem discussionem memorie occurunt formaliter & expressè detestemur ex tali motivo, quod omnibus peccatis commune est, hinc ea, quæ memoriâ exciderunt vi motivi ad ea se extendentis detestamur virtualiter. Ad 2. Diligens Deum super omnia simul virtualiter detestatur peccatum ut enim ait S. D. hic Q. 113. a. 5. ad 1. *Ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum & refugere aliud.* Unde in tali casu sufficeret ad justificationem detestatio peccati virtualis in actu charitatis Dei super omnia inclusa.

## QUÆSTIO IV.

*An prærequiratur actus Spei & Charitatis  
& qualis?*

**D**ICO. Oportet quod in justificatione impii sit motus arbitrii: ... quo per desiderium tendat in Dei justitiam. S. Th. hic Q. 113. a. 5. Q. Sive ad justificationem requiritur actus spei & charitatis Dei super omnia.

Probatur Conclusio 1. de spe ex illo Matth. 9. *Confide fili remittuntur tibi peccata tua ubi Christus exigerat spem à Paralytico, ut remitterentur ipsi peccata Rom. 8. v. 24. Spe salvi facti sumus. Ps. 90. Quoniam in me speravit, liberabo eum.* Et ratio est: quia Deus non concedit remissionem peccatorum, nisi volenti eamque desideranti, qui verò fiduciam non collocat in divinâ misericordiâ, per quam Deus peccata remittit, non volet aut desiderabit eandem, è quod ipsam remissionem obtinere non confidat.

2. De charitate ex illo 1. Joannis 3. *Qui non diligit manet in morte: neque ulli adulto dimittuntur peccata nisi cui illa absolute displicant, atqui sine charitate peccata absolute non displicant: sunt enim peccata*

VIII.  
ut omnia pes  
memorizat  
ex tali modis  
est, hinc et  
e extensio  
Deum super  
ut enim sit  
m virtutem  
ingere aliud  
in defensio  
x omnia in  
  
Charitatis  
opus in motu  
in Dei justifi  
justificatio  
Dei super  
enti, q. de  
misericordie  
peccata  
go. Qu  
est; qia  
m, nivo  
in non col  
Deus peccan  
n, eo quid  
pui non al  
diminutum  
qui sine ob  
ar eam pa  
on

DE REQUISITIS AD JUSTIFICATIONEM. 718

cata absolute & secundum se offensa Dei, offensa autem Dei instantum displicet & odio habetur in quantum placet sive diligitur ipse Deus, unde S. Th. hic Q. 113. a. §. ad I. *Ad eandem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud: & ideo sicut ad charitatem pertinet diligere Deum, ita etiam detestari peccata.*

Denique ille actus charitatis debet esse talis, qui voluntatem peccandi excludat, atqui nisi diligatur Deus super omnia actus ille voluntatem peccandi non excludit, sed eandem compatitur, ut patet in peccatoribus, qui saepè aliquo modo diligunt Deum nec tamen à peccatis desistunt, ergo actus charitatis ad justificationem disponens debet esse Dei super omnia extra Sacramentum perfectus in Sacramento vero imperfectus sive, ut vocant, initialis: sed de his latius alibi. Modo sufficiat textus Con. Trid. sess. 6. de justif. cap. 6. exigentis actus fidei, spei & charitatis ad justificationem in Sacramento: *Credentes vera esse, quæ di  
vinitus revelata & promissa sunt atque illud imprimis  
à Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptio  
nem, quæ est in Christo Iesu, & dum peccatores se esse  
intelligentes à divina justitia timore, quo utiliter con  
cutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se  
convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi  
propter Christum propitium fore, illumque tanquam  
omnis justitiae fontem diligere incipiunt.*

Q. An actus disponentes ad gratiam sint dispositio  
nes tantum morales vel physicæ?

R. Motus liberi arbitrii sunt dispositiones physicæ  
ad gratiam recipiendam. Ratio est: sicut in ordine  
naturali natura est physicè emanativa suarum proprieta  
tum, ita in ordine supernaturali gratia est physicè  
emanativa suarum proprietatum, & sicut dispositio  
nes in ordine naturali, quæ requiruntur ad productio  
nem

nem formæ, physicè disponunt, ità in ordine supernaturali dispositiones prærequisitæ ad productionem vel infusionem gratiæ physicè disponunt, motus enim liberi arbitrii supernaturales realiter & intrinsecè coaptant animam ad recipiendam gratiam, cum sint ejusdem ordinis & habeant intrinsecam connexionem cum gratiâ, & quidem aliqui actus virtutum solum remotè ad justificationem disponunt, aliqui proximè; remotè disponunt timor servilis, spes, fides: quia illi motus remotè disponunt, quibus homo recessum à peccato & accessum ad Deum instituit, ità tamen, ut cum illis immediate non obtineat gratiam sanctificantem; atqui per timorem servilem, fidem & spem informantem incipit peccator accedere ad Deum & recedere à peccato, & cum his actibus stat adhuc peccatum habituale, & immediate non infunditur gratia. Ergo hi actus tantum remotè disponunt ad gratiam sanctificantem & justificationem. Proximè disponunt ad gratiam actus perfectæ contritionis vel charitatis: quia per illos actus ità receditur à peccato & homo fit acceptus apud Deum, ut immediate acquiratur gratia: cum hi motus propter oppositionem intrinsecam, quam dicunt ad peccatum mortale, nequeant consistere cum peccato habituali.

*Dices:* dispositio physica debet esse in eodem subjecto cum formâ ad quam disponit, sed gratia & actus charitatis vel pœnitentiæ non sunt in eodem subjecto: cum gratia, ut vidimus, immediate subjectetur in animâ, & actus illi sint eliciti à voluntate.

*R.* Dispositiones & forma, ad quam disponunt, debent recipi in eodem subjecto QUOD, hoc est in eodem composito vel supposito Con. debent subjectari in eodem subjecto QUO. hoc est immediato aut in eadem potentia N. Patet id in naturalibus, ubi forma substantialis immediate recipitur in sola materiâ, dispositio-

De Requis  
positiones vero vel  
composito,  
DISPU

Q Via homo adu  
riam acquire  
talem à gratiâ sancti  
canur merita, sicut  
utem pœna, qua  
merita; pro coroni

Q

An aliquis possi

Suppono 1. Elle c  
a opera aliquid ap  
a script. Sap. 5. v.  
urum & 10. v. 17.

jurum & ut definit  
axerit; hominis iug  
u non sint etiam bon  
fum justificatum bon  
um & Iesu Christi

si, sunt, non vere  
enam, & ipsius c  
oficit, consecration  
um; anathema sic  
lacionem mereri po

Suppono 2. Merit  
um aliquem, cui  
ultima debetur aliquo  
termum de condigni  
tate decondigno est  
in & valorem, &  
valuationem, merc

VIII,  
ordine super  
productionem  
motus enim  
insecè coap-  
m sicut ejus-  
ionem cum  
lum remob-  
nè; remo-  
ia illi mo-  
sum à pe-  
tamen, ut  
sanctifica-  
& spem in-  
& recedat  
occum ha-  
ia, Ergo hi  
sanctifican-  
ad gratiam  
ia per illos  
epus apol  
um hi mo-  
cam dico  
un peca-  
dem lab-  
ita & athis  
subjecto;  
ton in arti-

DE REQUISITIS AD JUSTIFICATIONEM. 719  
positiones verò veluti accidentia subjectantur in toto  
composito.

## DISPUTATIO XXIX.

### De Merito.

**Q**uia homo adultus propriis actibus æternam glo-  
riam acquirere debet exhibendo Deo opera mo-  
ralem à gratiâ sanctificante valorem habentia, quæ vo-  
cantur merita, sicut econtra mala opera ob condigni-  
tatem pœnæ, quam adferunt peccanti vocantur de-  
merita; pro coronide nunc de merito agendum.

### QUÆSTIO I.

*An aliquis possit mereri & quidem sine gratiâ?*

**S**uppono 1. Esse certum de fide: hominem per sua  
opera aliquid apud Deum mereri posse, ut constat  
ex script. Sap. 5. v. 16. *Apud Dominum est merces*  
*eorum & 10. v. 17. Reddidit justis mercedem laborum*  
*suorum & ut definivit Trid. sess. 6. Can. 32. Si quis*  
*dixerit: hominis justificati bona opera ita esse dona Dei,*  
*ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ip-*  
*sum justificatum bonis operibus, que ab eo per Dei gra-*  
*tiam & Iesu Christi meritum, cuius vivum membrum*  
*est, fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam*  
*æternam, & ipsius vita æterna, si tamen in gratiâ de-*  
*cesserit, consecutionem, atque etiam gloriae augmen-*  
*tum; anathema sit: ut conclusum igitur supponitur*  
*hominem mereri posse; at videndum quomodo.*

**S**uppono 2. Meritum in communi significat opus vel  
actum aliquem, cui vel ex congruentiâ vel etiam ex  
justitiâ debetur aliquod præmium; meritum dividitur in  
meritum de condigno & meritum de congruo: meri-  
tum de condigno est opus, cui propter suam dignita-  
tem & valorem, quem habet secundum moralem  
estimationem, merces & præmium ex justitia debetur.

Meri-